

**Observationum e praxi medica desumtarum specimen I. : dissertatio inauguralis medica ... / publice defendet auctor Christianus Fridericus Adlerus.**

**Contributors**

Adler, Christian Friedrich, 1799-  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Lipsiae : Literis F.A. Brockhusii, [1830]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/mhepbjbg4>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

2.  
—

**OBSERVATIONUM**  
**E. PRAXI MEDICA DESUMTARUM**  
**SPECIMEN I.**

---

**DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA**

QUAM

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS AUCTORITATE IN ACADEMIA  
LIPSIENSI

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ATQUE CHIRURGIA HONORIBUS

RITE CAPESSENDIS

ILLUSTRIS ICTORUM ORDINIS CONCESSU

IN AUDITORIO IURIDICO

**D. XXVII APRIL. A. MDCCCLXXX**

PUBLICICE DEFENDET

AUCTOR

**CHRISTIANUS FRIDERICUS ADLERUS**

LEUCOPETRANUS MED. BACC.

---

LIPSIAE

LITERIS F. A. BROCKHUSII.

2





Digitized by the Internet Archive  
in 2016

<https://archive.org/details/b2241583x>



**VIRO REVERENDO, AMPLISSIMO, DOCTISSIMO,  
IOANNI AUGUSTO WIEDEMANNO**

**TEUCHERNAE, PROPE LEUCOPETRAM, VERBI DIVINI MINISTRO PRIMARIO,  
MERITISSIMO,**

**AMICO PATERNO**

**HOCCE QUALECUNQUE OPUSCULUM**

**TANQUAM**

**GRATI PIIQUE ANIMI SIGNUM**

**OFFERT**

**AUCTOR.**



PRO REVERENDO AMPLISSIMO DOCTISSIMO

JOANNI AUGUSTO WIERDEMANN

PROFESSORI PUBLICO MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM IN ACADEMIA  
ALMA MATER

AMICI PATRIS

DOCTORIS MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM

ALMA MATER

PROFESSORI PUBLICO MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM

ALMA MATER

ALMA MATER



Opprime, dum nova sunt, subiti mala semina morbi.

OVID.

**L**uise V., puella annum agens tertium, scrophulosi habitus, ceteroquin sana, bene nutrita et viginti dentibus praedita, nullo hactenus, si variolas vaccinas exceperis, morbo obnoxia sub finem anni praeteriti achoribus corripiebatur, qui plures faciei partes, genas, frontem, regionem pone aures, imo capillatum caput hinc inde crustis, ab initio humectantibus deinde siccis, obtegebant. His achoribus sine ullius remedii externi usu medebatur, sed paulatim post quinque vel sex hebdomades, solo Jaceae infuso tenui, pro potu adhibito, abibant. Reliqui corporis valetudo et durante hoc exanthemate et sanato illo nullam omnino mutationem erat perpessa.

Die nono mensis Januarii anni currentis, cum scalae Reaumurianae hydrargyrum iam per plures septimanas infra punctum glaciale, imo nonnunquam ad sedecimum usque gradum, descenderat, puella illa in morbum admodum vehementem subito incidit. Sine ullo quippe aegritudinis signo lectulum octava hora vespertina petierat et ad mediam usque noctem placide dormiverat; hoc vero tempore repente expergefata cum gemitu, eiulatu, anxietate et summa inquietudine sese movebat et nunc huc nunc illuc in lectulo iactabatur. Anxia mater cum



hos gemitus percepisset, statim prolem adiit eamque eiulantem, inquietissimam, situm cum magno angore saepissime mutantem invenit, simulque faciem tumidam et ruberrimam esse, oculos autem ultra modum coruscos e cavo suo prominere animadvertit. Praeterea vomitiones aderant frequentes, quas deinde vomitus ipse insequabatur, quo cum paucis mucis permixtus latex aquosus, e flavo viridiusculus sine ullo ciborum praeterita vespera sumtorum vestigio eiiciebatur. Hic vomitus brevissimis intervallis ter rediit et turbae universae initium, nequaquam autem finis erat.

Accesserunt enim mox stridor dentium, spasmus cynicus, strabismus et denique totius corporis motus convulsivi admodum vehementes cum extremitatibus frigidis, pallidis, collapsis et facie turgida atque rubra. Has convulsiones, cum post horae quadrantem evanuiscent, excepit altus sopor, quo durante respiratio vix auribus percipienda et raris eiulatibus interrupta observabatur. Hunc soporem anxii parentes omni opera turbare studebant; verebantur quippe ne languida et vix sentienda respiratio simul cum ipsa vita cessaret.

Puella sic e somno expergefata sui plane compos erat et valde querula non ob quendam dolorem, qualem non percipiebat, sed ex sola coenaesthesia mutata; loquela eius infirma erat et saepe gemitu et singultu interrompebatur, cutis sicca et calida bibendique desiderium vehemens. Ad hanc sitim compescendam parentes chamomillae infusum propinarunt, vulgarem sequentes opinionem, naturam ad fugandam aegrotorum sitim non aquam puram, sed potius infusa theaeformia postulare. Iam autem cum huius infusi uncias nonnullas sumsisset aegrotula, iterum nausea et vomitus accessit, post quae symptomata denuo convulsiones comparuerunt, quas tandem idem sopor cum gemitu, eiulatu et siti iunctus excepit. In hoc statu infans ad decimam usque horam antemeridianam perseveravit; cum



autem hoc tempore impetus spasmodicus iterum et cum maiori vehementia rediisset, et diutius quam antea durasset, infantis pater precibus me adiit, ut medicinam malo afferrem. Ex historiae morbi enarratione, quae sane manca et imperfecta erat, hydrocephalum acutum praesentem esse verebar; quare celerrime ad aegrotulam properavi et in eius statum inquisivi.

Inveni autem haec: faciem profunde rubram et turgidam; oculos fulgentes, prominentes; pupulam dilatatam minusque sensibilem; nares siccas; labia arida, scissa, nigrescentia; linguam ad margines rubram, in media vero parte muco tenaci, albido, siccescente obtectam; arterias temporales et carotides vehementer pulsantes; thoracem respiratione celeri, inaequali valde agitatum; cordis motum fortem, frequentem; abdomen tumidum magis et tensum quam contractum, a manus tactu non dolens; cutem naturali calidiorem et siccam; alvum ex viginti quatuor horis clausam; urinam raram, calidiorem, ex flavo rubram; pulsus frequentes, celeres, duros et fortes; vocem incertam, minus fortem, lacrymosam et leviter raucam. Ciborum desiderium aderat omnino nullum, perpetua autem sitis, cui sedandae tamen paucae aquae guttae sufficiebant. Praeterea inquietissima erat aegrotula, ex uno lectuli latere ad alterum perpetuo sese iactabat, admotis manibus nares et labia assidue fricabat et insignem morositatem summamque ad lacrymandum proclivitatem ostendebat.

Ex his symptomatibus rite consideratis mihi patere videbatur: febrem inflammatoriam, una cum forti versus cerebrum sanguinis congestionem, adesse.

Causam, quae hanc febrem provocasset, occasionalem parentes omnino nescierunt; confitebantur aperte ipsorum filiolum, quae cubile calefactum non reliquisset, refrigerio expositam fuisse nulli, neque in diaetetico regimine peccatum aliquod admisisse. Vermium intestinalium praesentia signis nullis adhuc



se prodiderat. Externa totius capitis inquisitio accurata laesionis alicuius nullum vestigium praebebat. Per omnem autem hyemem infans iteratis vicibus de dolore vel potius de pruritu oculorum conquesta erat. Oculi praeter symptomata supra dicta, quae praesenti morbo suam debebant originem, morbosae alicuius alienationis signa haud offerebant; quum autem cubiculum, in quo degebat et dormiebat infans, semper molestissimo fumo repletum invenirem, illum, ut pruritus istius, causam accusandum esse censui. Praeterea de huius cubiculi conditione hoc annotandum est, temperiem eius, ex mala furni constructione, non semper eandem, sed mox calidiorem, mox frigidiorē fuisse. Inprimis pavimento perfrigidum erat, ita ut vel ipsi parentes, quamvis calceis lanatis pedes vestissent, tamen gelidos illos semper tangerent et filiolae etiam pedes ita tetigisse contenderent.

Equidem proinde ex pedum refrigerio paulatim facto febrem illam et congestiones repetendas esse arbitrabar. Febrem autem inflammatorium characterem habuisse nemini mirum videbitur, qui validam aegrotulae constitutionem et dehinc anni tempus et temperiei atmosphaericae ventorumque rationem consideraverit. Achores illos, de quibus supra retuli, praesenti morbo occasionem dare potuisse vero utique simile mihi haud videbatur, quippe qui neque incaute administrato artis auxilio neque ipsius naturae vi subito suppressi erant, sed sensim sensimque ad siccitatem perducti evanuerant.

Prognosis mihi ambigua et fere infausta constituenda videbatur. Accurate enim consideratis aegrotae aetate, constitutione et symptomatum, quibus proruperat morbus, ferocia, anni item temporis atque conditionis coeli, quae morbi incremento admodum favebant, ratione habita, non poteram non vereri, ne febris inflammatoria, cum forti versus cerebrum congestionem iuncta, in veram cerebri inflammationem transiret, quae subito ex-



sudatione serosa in cerebri ventriculos finita, paralyisin et denique mortem adduceret. Quod proxime instans periculum ut arceretur celeri profecto eoque satis valido artis opus erat auxilio.

Curatio, qua ad hunc finem me pervenire posse arbitrabar, duabus indicationibus superstruenda videbatur: scilicet auctus versus cerebri vasa sanguinis adfluxus minuendus et inflammatoriae febris vis coërcenda erat. Iam, ut hoc utroque potirer scopo, haec mihi praecipienda videbantur:

Adplicentur hirudines duae ad quamque regionem temporalem; sanguinis effluxus ex vulneribus ab illis factis non prius, quam donec per se cesset, sistatur; praeterea imponantur ad plantas pedum cataplasmata calida ex avena excorticata et farina seminum lini parata et porrigantur infanti pulveres secundum hanc formulam compositi:

R̄. Hydrarg. mur. mit. gr. vj.

Sacch. lact. ʒj.

M. F. Pulv. divid. in vj part. aequ., quarum una omni bihorio exhibeatur.

Praeterea caput aegrotulae ab omni involucro calorem augente liberari et in situm altiore elevari iussi; pro victu iusculum aquosum, pro potu aquam sufficiente coctione depuratam, cum saccharo albo dulcificatam et eandem, quae cubiculo erat, temperiem obtinentem ordinavi.

Hora pomeridiana quarta aegrotulam iterum adii, cuius tamen statum vix inveni mutatum. Convulsiones paulo post hirudinum applicationem semel, sed minus vehementes et brevius temporis spatium, quam antea, explentes redierant; sanguisugarum ope sat larga sanguinis copia emissa erat et duabus Calomelanos dosibus sumtis factum erat, ut aegrota bis faeces solutas, mucosas, viridescentes deponeret. Cum reliqua morbi conditio eadem mansisset, curam inchoatam continuan-



dam esse duxi; Calomelas autem, quatuor demum horis elapsis, porrigi iussi.

Hora nona vespertina infantem aegrotantem tertia vice adii. Convulsiones non redierant, alvus iisdem, quas dixi, faecibus aliquoties soluta erat, bis sternutatio adfuerat, febris autem, inquietudinis aliorumque symptomatum eadem adhuc erat ratio. Iam Calomelanos ope evacuationibus sat largis factis, dosin hactenus exhibitam in duas aequales partes dividendam curavi, quarum unam ante mediam noctem, alteram hora matutina sexta exhibendam esse praecepi. Praeterea simul vesicatorium ad nuchas applicandum curavi et pro usu interno emulsionem secundum hanc praescriptionem:

R $\acute{x}$ . Amygd. dulc. ℥℔.

Aqu. destill. ℥iv.

Terendo fiat emulsio, cui adde

Nitri depurat. ℥j. et

Sacch. alb. ℥ij.

paratam, omni bihorio ad cochlear maius propinandam ordinaui. Primam noctis partem puella inquieta, sese iactans, gemens, eiulans, lacrymans, soporosa, oculis inter soporem apertis sitique frequenti vexata transegerat; postea autem, cum matutinum tempus instaret, quietior facta, per tres circiter horas somno satis tranquillo gavisa erat; ex quo expergefata de pruritu a vesicatorio et de cataplasmatibus, quae ut grave pondus pedibus adligatum sentiebat, conquesta erat. Ceterum alvus laxa fuit eamque pluries deposuit, urinae vero parum misit.

Cum ipse hora nona diei undecimi mensis Ianuarii illam adissem, quietior quam die praeterito in lectulo iacebat, multo autem morosiores eam, quam antea, inveniebam, ita ut per aegre ferret, cum manus eius brachio pulsus disquirendi causa admoverem. Facies adhuc profunde rubebat, oculi minus prominebant et fulgebant, pupula sensibilior quidem, tamen adhuc



dilatata erat et febris cum symptomatibus ad illam pertinentibus a priori vehementia satis longe recesserat; caeterum e naribus tenuis mucus profluebat, convulsiones vero redierant nullae. Cutis plagae a vesicatorio factae tenue unguenti de uvis stratum imponi, emulsionem amygdalinam cum nitro continuari, cataplasmata autem removeri iussi.

Intra reliquum diei tempus aegrota a cibis plane abstinuit, potus aliquid quandoque assumsit, saepe per longius tempus oculis probe clausis quiete dormiit, bis faeces prioribus similes deposuit, iterata vice sternutavit et e naribus tenuem mucum, cum striis sanguineis aliquoties mixtum, emisit. Eundem fere eius statum, cum sub vesperam illam adiissem, inveni; febrem tamen iterum fortiolem, quam tempore matutino, caput liberius animadverti, sed summa simul aderat morositas et suae voluntatis pertinacissima constantia. Saepius etiam, quod durante morbo nunquam factum erat, de oculorum pruritu conquesta fuit. Usus emulsionis nitrosae duxi continuandam.

Ad mediam usque noctem aegrotula admodum inquieta fuit, calida, sicca, faciei profunde rubentis crebraque siti vexata, iactaverat sese, gemuerat interdum et inter dormiendum locuta erat, carotides et cor fortiter pulsaverant. Verum, media nocte transacta, calor cutis et adauctus faciei rubor sensim abierant, subsequente somno placido et naturali, cum respiratione aequali atque tranquilla et sudore calido tam largo, ut, cum horis matutinis experexisset, indusium mutandum esset.

Hora matutina diei duodecimi mensis Ianuarii decima puellam inveni in lectulo erectam, tranquillam, ludentem et, quamvis obsesset, quo minus pulsuum rationem inquirerem, manum tamen, cum ipsam salutassem, placide porrigentem. Caput omnino liberum erat; oculos, faciei ruborem, calorem, respirationem, vocem et loquelam in statu normali, pulsus tamen naturalibus paulo frequentiores inveni; caeterum potuum cibo-



rumque desiderium aderat nullum; linguam tenui atque mobili pituitae albescentis strato obtectam deprehendi, naribus magna limpidi muci copia promanabat, alvus ex viginti quatuor circiter horis clausa erat et urina nubeculam mucosam continebat.

Iam cum periculum, quod ex cerebri affectione metuendum erat, feliciter fugatum esset, digestionis restituendae causa primarum potissimum viarum ratio habenda erat, quare potionem salinam praescripsi hancce :

℞. Liqu. terr. fol. tart.

Syr. sacch. aa  $\mathfrak{z}\mathfrak{ss}$ .

Aqu. destill.  $\mathfrak{z}\mathfrak{iij}$ .

M. D. S. Sumatur cochlear maius omni bihorio.

Huius remedii usu factum est, ut ciborum appetentia rediret, tunicae Schneiderianae secretio rite procederet et infans plane convalesceret; sexto namque ab initio morbi die lectulum illa relinquere potuit. Paucis diebus post penitus sanatam puellam parentibus reddidi.



## E P I C R I S I S.

Nec doctus et sublimis, non nisi verus et utilis esse considero.

**H**aec brevis est historia morbi a me ipso observati, cuius sincerrimam et secundum naturam accuratissime depictam imaginem reddere conatus sum. Huncce morbum, quamvis gravem et periculosum eum fuisse iudicem, haud tamen rarum vel novum esse mihi persuasissimum habeo. Longe etiam absum, ut eius tum diagnosin, tum curationem difficilem dicam, ut potius censeam, peritum quemvis medicum practicum veram eius naturam facile detegere et medelam sanitati restituendae accommodatam invenire posse. Nihilominus tamen plura de diagnosi et denominatione, de symptomatibus item et cura huius aegritudinis commemoranda habeo, quae in sequentibus pagellis cum doctis lectoribus communicare constitui.

Cum in relatione de aegritudine diagnoseos eius mentionem fecerim, illam febrem inflammatoriam cum forti versus cerebrum congestione dixi. Hanc denominationem, multos fore, qui vituperent, lectores, nullus dubito. Ipse ego anceps aliquamdiu haesi, an non iure encephalitidis aut hydrocephali acuti nomen illa mereatur. Gloriosius enim utique est encephalitidem aut hydrocephalum acutum curasse, quam febrem inflammatoriam.



Cum autem encephalitidem veram non adfuisse mihi persuasissimum habeam, maiorem laudem veritati posthabendam esse censeo. Aberant quippe plura symptomata, quae cerebri inflammationibus peculiaria habentur: capitis dolores modo sinciput modo occiput occupantes, nunc lancinnantes et perforantes, nunc pulsantes vel prementes; desiderabantur itidem deliria furiosa, tunicae coniunctivae rubor, torvus et furiosus oculorum obtutus, pupula contracta, lucifuga, nimia visus auditusque acies et omnino vehemens ista functionum cerebralium exaltatio, qua fortis et genuina cerebri inflammatio se prodit. Neque praesto erant symptomata ex depressa praeter normam cerebri actione nata, quae varii auctores ei encephalitidis formae, quae exsudatione terminatur, propria dicunt, quae sunt: capitis gravado et obtusus dolor, stupor, deliria mussitantia, oculorum in cavum retractio atque timidus adspectus, faciei pallor, labiorum e rubro livescentia aut albedo, linguae sorde illitae color brunneus, halitus ingrati odoris, aucta regionum hepatis et ventriculi sensibilitas, abdominis contractio, pulsum tarditas, violata aequitas et regula, cutis discoloris laxitas et siccitas, caloris imminutio, exanthema circa labia, collum et acromion progerminans, tandem frequens manuum ad caput motus atque genitalium frictio.

Alterius morbi, hydrocephali videlicet acuti nomine morbum a me descriptum insignire nolui, primum, quod nonnulla illius signa peculiaria, v. g. pulsus tardi, et inprimis collectae aquae, unde nomen illud pendet, symptomata omnino aberant; deinde etiam, quod in universum hoc nomen ad statum morbosum, cui tributum ab auctoribus est, significandum parum apte electum esse censeo. Etenim inter omnes medicos constat et omnes, qui de pathologia commentati sunt, auctores uno ore nos edocent exsudationem serosam ad exitus inflammationis pertinere; immo ii scriptores, qui de hydroce-



phalo acuto optime egerunt, veluti QUIN, RUSH, BAUME, VIEUSSEUX, COINDET, MATHEY, GOELIS <sup>1)</sup> inflammationem tanquam hydropis ventriculorum praeviam causam accusant et in hydrocephali acuti stadiis prioribus fere eadem symptomata, quae sunt encephalitidi propria, praesto esse fatentur; — porro iidem moment, se in infantum, quos hydrocephalo acuto enecatos fuisse narrant, sectionibus nequaquam aquae exsudatae aliquid detexisse, sed solius inflammationis interdum vestigia invenisse <sup>2)</sup>; — saepe etiam, uti plures GOELISH observationes testantur, aquam nullam, sed aliud inflammationis productum, nempe lympham plasticam, coagulata, in pseudomembranas concretam aut verum pus se animadvertisse referunt. Accedit et hoc, quod iidem clari viri in sola encephalitidis cura sic dicti hydrocephali acuti sanationem positam esse, aegrotum autem, si exsudatio vere locum habuerit, perituum esse contendunt <sup>3)</sup>. Proinde, si haec cuncta recte considero, quo iure morbus, qui re vera inflammatio cerebri est, hydrocephali acuti nomine insigniatur (cum a potiori denominatio fieri soleat), non intelligo. Si quis forte obicere velit, exsudationem <sup>4)</sup> saepe sine ulla in-

1) GOELIS in egregio de hydrocephalo acuto tractatu, Viennae, 1815, Tom. I pag. 11, disertis verbis ait: Die hitzige Gehirnhölenwassersucht ist immer eine Secundar-Krankheit einer vorausgegangenen entzündlichen Turgescenz und Entzündung der Gehirnhäute oder der Gefäße des Gehirnes selbst, nach RUSH, MARCUS und andern.

Caeterum GOELIS inter stadia, in quae morbum illum distribuit, secundum inflammatorium ab ipso dictum recenset.

2) D. A. MATHEY in libello suo de hydrocephalo, ad cuius versionem germanicam Exp. CERUTTI praefatus est, pagg. 5, 161 et 164, atque GOELIS in operis iam laudati Tom. I pagg. 197 ad 198 et pag. 260.

3) GOELIS l. l. Tom. I. pag. 100 et pag. 126.

4) ARMSTRONG exsudationem illam sine ulla inflammatione ex sola congestione venosa oriri posse contendit, statum autem morbosum sic obortum minime hydrocephalum acutum, sed febrem congestivam appellat.



flammatione oriri posse, inflammationem igitur hydropis illius necessariam causam non sistere, equidem illi haudquaquam contradico; istum autem hydropem morbum illum, quem auctores sub hydrocephali acuti describunt nomine, unquam esse constitutum, pertinaciter nego. Talis enim exsudatio in ventriculis aut inter meninges sine praevia inflammatione facta aut tardius aut rapidius, quam hydrocephalus acutus, ad finem tendit; in priori scilicet casu illam apoplexia aquosa, in posteriori hydrocephalus chronicus, vel, ut equidem dicere malim, hydrocephalus genuinus insequitur. Denique, si quis dixerit, morbi denominationem medico perito parvi esse momenti, quod causis, nequaquam autem nominibus morborum remedia opponantur, et hoc lubentissime largior; falsam autem denominationem hoc modo aut excusatum aut defensum iri minime credo. Etenim non omnes medici artis suae iam vere periti sunt, inveniuntur etiam inter illos, qui, quamvis per longum tempus praxin medicam exercuerint, nunquam tales fiunt. Quid si tales, in hydrocephali acuti curatione ad solum mali nomen respicientes, omisso apparatu antiphlogistico, a quo secundum optimorum observatorum experientiam unica restituendae sanitatis spes pendet, medicaminibus excitantibus et vasorum cerebralium actionem augmentibus inflammatorium, qui obtinet, statum ferociorem reddunt sicque efficiunt, ut morbus subita morte finiatur?

Congestionem ad vasa cerebralia in casu nostro illud fuisse momentum, ex quo summum et proximum instabat periculum, illucet; quare etiam illam tollendi primum curationis erat officium. Attamen hanc cerebri oppletionem malum primum haud fuisse, sed illam potius una cum febre ab alio stimulo originem duxisse mihi credibile est. Ubi enim morbi causas occasionales, decursum et crisin respicio, haec mihi eius obversatur imago. Ex pedum refrigeratione in cubili, cuius erat pavimentum frigidissimum, facta tunicae mucosae narium irritatio



et ex illa febris, quae pro anni tempore et valida aegrotae constitutione inflammatoria erat, oriebatur. Versus hunc stimulum, in loco cerebro admodum vicino, puellae robustae et succi plenae sanguis tanta vi et copia ferebatur, ut crisis nimia intentione impediretur, cerebri vasa sanguine obruerentur et hinc omnis illa vehementissimorum symptomatum, quae encephalitidis formam simulabant, turba concitaretur. Imminuta demum et a cerebro deducta sanguinis copia, natura, sua ipsius vi antea obruta, ad viam, quam ab initio ingredi molita erat, redire poterat et morbum, uti simplicem catarrhum, crebra sternutatione et denique larga muci secretionem iudicabat.

Inter symptomata, quibus morbus se prodidit, insolita erant nulla. Omnia enim, partim ex sanguine in cerebri vasis accumulato, partim ex febris natura facile explicari possunt. Attamen sunt quaedam inter illa, quae accuratiori contemplatione, quam hactenus illis, quantum equidem scio, contigit, digna sunt.

Narravi pag. 7 aegrotulam adsidue labia atque nares digitis vexasse. Haec libido, digitorum apicibus in nares forandi et labia unguibus fricandi, ex pruritu, ab illarum partium siccitate oriundo, facile explicatur. Admodum constantem autem hanc libidinem multarum cerebri nervorumque affectionum comitem, praecipue apud infantes, esse animadverti, ita ut illam pro phaenomeno in dignoscendis morbis haud spernendo habeam, quod etiam apud adultiores aegrotos non raro observavi. Plerique auctores, cum veteres tum recentiores, v. g. GRUNER <sup>5)</sup>, DANZ <sup>6)</sup>, HAASE <sup>7)</sup> pruritum narium inter symptomata

5) Ch. G. GRUNER *Physiol. und Pathol. Zeichenlehre*. Jena, 1801. pagg. 338 et 486.

6) *Allgem. Medizin. Zeichenlehre* v. D. F. G. DANZ, neu bearbeitet von D. J. Ch. A. HEINROTH. Lips., 1812. pag. 232.

7) D. W. A. HAASE, *Ueber die Erkenntniss und Cur der chronisch. Krankheiten*. Wien, 1820. Band III. Abth. 2. par. 819.



status verminosi numerant, in quo casu tamen utplurimum sine febre et cum longe aliis symtomatibus coniunctus ille depren-  
ditur, quae HAASE<sup>8)</sup> et GOELIS<sup>9)</sup> accurate recensuerunt. Caete-  
rum scriptores modo laudati de solo narium pruritu disserunt,  
nullam autem perpetuae illius et automathicae quasi digitorum  
actionis iniiciunt mentionem<sup>10)</sup>.

Triste, quod huc spectat, exemplum virginem concernit,  
decimum septimum annum agentem, quae febre nervosa lenta, per  
plures septimanas durante, proh dolor! haud ita pridem obiit. Illa  
quippe per omnem morbi decursum obtutu decumbebat stupido;  
animus solo sui ipsius statu occupatus videbatur; digitis autem  
sine intermissione in nares forabat, unguibus scissam labiorum  
cutem contorquebat et avellebat. Tanta huic tristi oblectationi  
satisfaciendi cupido erat, ut, vel precibus vel adhortatione se-  
vera, vix ac ne vix quidem ab illa retineri possit.

Talia ego exempla, ex quo tempore lectulos aegrotorum  
adii, saepe, praecipue apud infantes vidi, ita ut nunc illam  
digitorum actionem tanquam signum admodum perniciosum con-  
siderem et non multum absim, quin inter axiomata referendam  
esse censeam enuntiationem hanc: illos, qui in morbo febrili  
digitis perpetuo in nares forant et labia unguibus petunt, gravi  
nervorum aut cerebri strage laborare.

In morbi descriptione singulas respirationis, quas observa-  
vi, mutationes accurate annotare studui, quod mihi quidem,  
tum ad diagnosin, tum ad prognosin constituendam summa vi-  
detur illarum dignitas esse. Varios respirationis modos qui ex  
huius functionis alienata vi, frequentia, velocitate, magnitudi-

8) I. I. Band III. Abth. 1. par. 414.

9) I. I. Band I. pag. 62.

10) GOELIS uno tantummodo operis sui loco, Bd. I. pag. 38. huius symto-  
matis, ex auctoritate CONSERUCHII, meminit.



ne, ordine et sono nascuntur, a variis scriptoribus accurate notatos legimus. Verum plerique eorum has respirationis a norma aberrationes ad morbosum organorum, quibus perficitur ille processus, statum referunt; minus vero illarum dignitatem in iis morbis, ubi proprium organorum respirationis malum non adest, extollunt. At enim in his ipsis et inprimis rursus in iis, qui nervos aut cerebrum afficiunt, respirationis modus signum est, quod equidem gravissimi momenti statuo.

Huic sententiae ipsa aegrotulae meae respiratio argumento esse potest, quippe quae modo tacita et vix sensibilis, modo velox, agitata et inaequalis, modo eiulans et suspiriosa observabatur. At infantis illius larynx, trachea et pulmones plane sani erant et cerebri solum functiones ex sanguinis congestionem laesae inveniebantur. Easdem morbosas respirationis variationes GOELIS et MATHEY in infantibus hydrocephalicis se observasse II. II. enarrant, imo contendunt illi viri experti in infantibus iunioribus, qui loquela adhuc carent, ex solo eiulatu, gemitu et suspirio illo aquae in cerebro exsudatae praesentiam colligendam esse. Huc etiam pertinet singularis respirationis alteratio morbosa, a nullo, excepto GOELISIO, quantum mihi cognitum est, auctore hactenus notata et accurate descripta, quam aliquoties observandi mihi copia facta est. Ille quippe plenus fidei auctor, ubi de difficultate apud iuniores, dentitione occupatos et loquela usu adhuc destitutos infantes stadium turgescientiae, exsudationi aquosae praeviae, cognoscendi disserit, inter signa quibus de eo certiores fieri possumus, recenset insolitam et adsiduam clamitationem cum tanta anhelatione, ut respiratio inter illam penitus evanescere videatur (*Verkeuchen bis zur Athemlosigkeit*)<sup>11)</sup>. Repetit hoc symptoma in singulorum hydrocephali chronici formarum descriptione, et nomina-

11) L. I Bd. I. pag. 23.



tim in ea huius mali specie illud praesto esse dicit, quae capitis deformatione se prodit nulla<sup>12)</sup>.

Data occasione iam hoc rarius occurrens et minus, ut videtur, cognitum symptoma, quod adstantibus (quoniam, non sine iusta causa metuunt, ne cum respiratione simul ipsa vita cesset) periculosissimum apparet, paulo accuratius describere et observationibus, quas ipse feci, illustrare tentabo. Haec anhelatio fit altissima inspiratione, per quartam circiter minutae partem, interdum etiam longius, protracta, inter quam facies profunde rubet et turget, atque capitis extremitatumque motus fere convulsivi, certe involuntares animadvertuntur, cum sono acuto et anheloso, quam deinde exspiratio tarda et tam tacita sequitur, ut vix, nisi reliquorum symptomatum cessatione, observetur. Infans nunc sese colligit, sed per breve adhuc tempus lassus decumbit vel placide dormit. Hic impetus forti tussis ferinae paroxysmo simillimus est; tussis autem ipsa ubique caret. Saepe clamitatione, iracundia et subita somni perturbatione hoc symptoma provocatur, saepissime autem sine ulla causa manifesta oritur. In hac igitur re ab iis, quas GOELIS fecit, meae recedunt observationes, quas nunc enarrare a re non alienum habeo.

Puer nonum agens vitae mensem, a nutrice sana lactatus, hactenus optima valetudine gavisus erat. Cum autem dentitionis tempus accessisset sensim ille morosior fiebat et macilentior, abdomen simul tumidum erat et inflatum, digestio laesa et urinae excretio imminuta, cutis flaccescebat, pedum autem atque vultus oedema albescens aderat, in quo digito facta fovea per aliquod temporis intervallum remanebat. Haec symptomata, quibus febris iuncta erat, inflammatoriam glandularum mesaraicarum affectionem prodere videbantur, cui malo paulo ante hu-

12) L. I. Bd. II. pagg. 42 — 43.



ius ipsius pueri frater succubuerat. Praeterea cum his morbi scrophulosi signis anhelatio illa modo descripta aderat, quae morbi periculum magis magisque augebat. Apta tamen et circumspecta viri Exc. et Exp. mihiq̃ue plurimum reverendi, D. M. MUELLERI curatione factum est, ut infans morti propinquae eriperetur.

Alius puer, habitus admodum scrophulosi, capite magno, abdomine tumido visceribusque male digerentibus praeditus initio secundi vitae anni, cum duo demum dentes prorupissent, sine manifesta causa eadem anhelatione mira excruciabatur. Sed et hic aegrotus viri clarissimi, mihi et affinitatis vinculo coniuncti et ob multa in me collata beneficia grato pioque animo venerandi D. et P. SCHWARTZII salutifera manu servatus est.

Infelicem e contrario exitum vidi in puero, septem menses nato, tenero, scrophuloso neque matris neque nutricis almo ubere fruente; is enim, praevia levi tussicula catarrhali, et durante leni diarrhoea, qualem infantibus inter dentitionem peculiarem habent, formidabili illa anhelatione corripiebatur. Paroxysmi huius mali mox sine ulla causa conspicua, inprimis cum infans e somno expergefieret, ter quaterve per diem redibant, mox per unum vel duo dies omnino deficiebant, infantem autem, ubi finierant, sine manifesti morbi vestigio tranquillum et placidum relinquebant. At enim cum per plures septimanas idem status permansisset, puer, qui brevi ante placido vultu ridebat, inter anhelantem et altissimam inspirationem obibat et, omnibus ad resuscitandam vitam aptis remediis frustra in usum vocatis, mortis praeda permanebat.

Denique eiusmodi respirationis alienationem observavi in puero secundum vitae annum ingresso, scrophuloso et crusta lactea affecto, ceteroquin sano et bene nutrito. Ille quippe in dentitionis periodo tales longas et anhelosas inspirationes pas-



sus est, quae aliquoties per diem accesserunt; aut, quod quandoque fiebat, earum loco aut post eas, animi deliquia compa-  
ruerunt, quae in statum soporosum, per quadrantem horae pro-  
tractum, transire solita sunt. Eadem medendi methodo, qua  
hydrocephali acuti curatio absolvitur, administrata omnia illa  
signa evanuerunt.

In cunctis hisce casibus aquam in cerebro collectam fuisse  
hancque abnormitatem singulari illa anhelatione sese prodidisse  
mihi quidem probabile est. Neque ullus dubito quin talis aquosa  
colluvies, in infantibus praecique scrophulosis et ad rhachiti-  
dem pronis, omnino non raro occurrat. Hoc onus organismus,  
si reliqua eius valetudo integra perseverat, veluti alia vitia, v.  
g. cordis quaedam mala, sine damno per longum tempus tole-  
rare, imo quandoque feliciter superare potest. Admisso autem  
nocivo stimulo novo, tunc vi sua tantum pondus sustinendi pri-  
vatur et nunc demum illud lethiferos effectus exserit. Quod  
ubi fit, vel subito apoplexia aquosa irrumpit, vel morbo, novo  
stimulo illo excitato, periculosa hydropis cerebri symptomata sese  
immiscent.

Non est e consiliis meis in hac dissertatione in respiratio-  
nis alienationes accuratius inquirere, earumque auctoritatem  
in cognoscendis, inprimis cerebri nervorumque, morbis exemplis  
et observationibus illustrare, sed adumbrasse illam iam mihi  
sufficit. Ubi autem mihi largior in posterum observandi copia  
et, quo observationes meas cum aliorum auctorum relationibus  
conferam et expleam, tempus praesto erit, hanc gravissimi mo-  
menti materiam fusius et accuratius exponere apud animum  
meum constitui. Non possum tamen, quin, priusquam hunc  
brevem de vitiatae respirationis dignitate pathologica excursus  
finiam, medici practici, plurimum aestumati, mihique carissi-  
mi sententiam afferam, quam saepius mecum communicavit  
quaeque his continetur verbis: se morbos, in quibus pulsum



ictus plurimum a naturali statu recedant, curare malle, quam in quibus respiratio.

Non minus, quam respirationis alienationes, vocis atque loquelaë mutationes praeternaturales ad certam diagnosin et prognosin construendam multum conferunt; neque in iis solum morbis, qui harum functionum organa occupant, sed etiam in aliis, praecipue cerebri nervorumque affectionibus summa mihi dignae videntur attentione. Nonnunquam enim ex sola vocis aut loquelaë peculiari mutatione me instantis status nervosi suspicionem concepisse recorder, quam deinde insequens morbi decursus non modo abstulit, sed potius comprobavit. Ex quo tempore talibus exemplis in vocis et loquelaë dignitatem semioticam attentus factus eram, illarum mutationes apud aegrotos accuratius animadvertere studui; hactenus autem me, qui has subtiles diversitates, quas iterata demum exercitatione auris distinguere callet, describam, imparem sentio. PORTENSCHLAG in libro suo de hydrocephalo monet: uti omnem aegrotorum habitum ita etiam vocem apud hydrocephalicos mutatam esse, qualis autem sit illa mutatio non explicat. Non desunt tamen auctorum observationes, quae singulas vocis mutationes enumerant, quibus ad sententiam meam comprobandam uti possum. Sic BAGLIVIVS ait: „Aphoniam et raucedinem non raro prodromum convulsionum epilepticarum esse“; item ALPINUS: „Aphoniae lethales sunt, quae cum vehementi delirio aut in delirium vehemens desinunt aut a vehementi delirio sequuntur. Aequae, quae cum spiritu sublimi vel brevi etiam. Porro, quae ex convulsionibus, ab inanitione ortis, pariterque cum singultu contingunt“; et KLEINIUS: „Aphonia et voces vitiosae, ut tremula, stridula, clangosa etc. in acutis male, maxime in phrenesi et ardentibus. Aphoniae cum exsolutione virium, cum stupore, rigore, convulsione totius corporis, cum delirio, aliisque symptomatibus gravioribus, omnes pessimae, pernicio-



„sae, mortiferae.“ Pleraeque vero harum observationum solum perfectum vocis defectum concernunt, et tantum quid ille ad prognosin, non etiam quid ad diagnosin faciat, edocent. At tamen subtiliores illae vocis alienationes, quae ex mutata eius vi, firmitate, aequitate, sono aliisque oriuntur non minus accurata medicorum practicorum attentione digna videntur, quam ipsa aphonia. Ad has alienationes illas pertinere puto, quas GOELIS inter hydrocephali symptomata refert, scilicet: sonum vocis nasalem, grunnientem, crepantem (schnalzenden); item vociferationes illas subitas, vehementissimas et acutas, quas MATHEY inter pathognomonica factae exsudationis in cerebro signa enumerare nullus dubitat. Huc denique etiam illas vocis et loquelaе mutationes referendas esse censeo, quas in aegrotula mea observavi et in praemissa morbi historia commemoravi.

Perpauca sunt, quae de morbi curatione mihi etiam addenda videntur. Sanguinis evacuationem in hoc casu prae caeteris necessariam fuisse, nullum fore puto medicum, qui neget. Quare illico illam eamque tam largam, quam morbi vis et aegrotantis valida constitutio exposulabat, instituendam curavi, atque eandem ob rationem sanguinis fluxum non prius inhiberi iussi, quam donec per se ille cessaret. Saepe hirudinum applicatio optatum effectum salutarem solam eam ob causam non affert, quod aut pusillae et languidae hirudines fortiter sugere non valent et satis amplas et irritatas, ex quibus sanguis promanet, plagas non relinquunt, aut velox et multis occupatus negotiis chirurgus sanguinis effluxum ante tempus constitutum sistere properat. Iteratus sanguisugarum usus aerumnam semel admissam non ubique removet; namque verissima permanet illa enuntiatio: sanguinis missionem largam, ab initio factam, multo maioris esse efficaciae atque utilitatis, quam repetitam sed parcam.



Calomelanos dosin, quam aegrotae meae exhibui, haud scio an non illi probaturi sint medici, qui hoc medicamine praestantissimo minori dosi uti consueverunt. At enim ego longiore observatione hanc Calomelas in morbis inflammatoriis, qui subita minantur terminari exsudatione, adhibendi rationem tam comprobata habeo, ut illam aptissimam et utilissimam censeam. Salutares huius remedii effectus, ea copia adhibiti, ut brevi tempore alvi solutiones adducat, secundum leges antagonismi mihi explicare studui. Calomelas enim larga manu ingestum subito totius tubi intestinalis sensibilitatem ita auget atque extollit, ut aliis locis, ubi adaucta erat, necessarie illa facultas diminui debeat. An simul aucta vasorum resorbentium actio ad imminuendum inflammatorium statum conferat nec ne, id virorum me doctiorum iudicio relinquo. Remedium corrigens, v. g. Magnes. carbon. vel pulv. ostracodermat., uti fieri solet, mercurio adiunxi nullum, hanc secutus rationem: rectum medicamen correctione egere nulla, medicamen autem, quod correctione egeat, rectum esse non posse.

Digitalem purpuream, sublata cerebri affectione, in usum vocandam esse non censui, quod, aquam exsudatam esse nullam, mihi habui persuasissimum. Praeterea hanc ego plantam iis adnumero medicaminibus, a quorum usu lubenter abstineo, cum a variis artis nostrae magistris laudatos illius effectus non omni exceptione maiores esse putem. Ita admodum collaudata est Digitalis purpureae virtus sanguinis motum abnormem coërcendi et pulsus reddendi tardiores atque aequiores. Equidem post eius administrationem pulsus saepe tetigi immutatos, subinde irregulares et unum, imo duo ictus plane intermittentes, tardiores autem vix unquam deprehendisse eos recordor. Porro stranguriam non rarius eius usum subsequi vidi, quam largiorem urinae excretionem. Semel etiam, cum secundum methodum a FISCHERO commendatam, incipienti phthisico largiores



eius doses praescripsissem, dolores vehementissimos obortos esse observavi in diversis corporis partibus, quos aegrotus ita se sentire asseverabat, ac si gravi malleo membrum affectum fortissime percuteretur.

Ceterum finito morbo ad aegrotae meae restaurandas vires remedia adhibui omnino nulla, quod talia, ut in plerisque aliis casibus, sic imprimis apud infantes, superflua esse ratum habeo. „Corpus impurum non nutriendum“! purificatum e contrario apte nutriatur, idque sine ullis elixiriis, essentiis, tincturis et extractis amaris sanum robur recuperabit.